AD S.^{mum} D.N.

CLEMENTEM VIII.

PONT. MAX.

MARTINI GILII DECANI ORATIO,

HABITA

DVM EIDEM, REIP. LVCENSIS NOMINE, OBEDIENTIAM PRAESTARET:

una cum

IOFREDO RAPONDIO, ET LAVRENTIO GVIDICCIONIO

XVI. KAL. MAII. CIↃ IↃ XCII.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Typographia Aloysij Zanetti. CIↃ IↃ XCII.

Impensis Paulini Arnolfini.

AD S.mum D.N.

CLEMENTEM VIII

PONT. MAX.

MARTINI GILII DECANI ORATIO,

HABITA

DVM EIDEM, REIP. LVCENSIS NOMINE, OBEDIENTIAM PRAESTARET,

una cum

IO. LEDO RAPONDIO, ET LAVRENTIO GVIDICCIONIO

XVI. KAL. MAII. CIƆ IƆ XCII.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Typographia Aloysij Zanetti. CIƆ IƆ XCII.

Impensis Paulini Arnolfini.

MARTINI GILII DECANI

AD CLEMENTEM VIII.

PONT. MAX.

ORATIO.



SI quis vmquam fuit, qui, facundiam, & eloquentiam cur expeteret, caussam habuerit; ij certe nos sumus, B. P. qui multas nunc, easque grauissimas, & maximas habemus. Summam etenim illam voluptatem, incredibilem lætitiam, qua vniuersa Lucensiũ Ciuitas ex accepto Tui Pontificatus nuntio perfusa est, verbis significare, Tibi de supremo hoc omnium humanarum dignitatum culmine gratulari, &, ad Tuos Pedes aduoluti, Te verum Christi Dei Vicarium confitentes adorare, Tibique debitum ab omnibus cultum, obsequium, & obedientiam præstare, satis ex dignitate deberemus. Maximum autẽ, difficile ac ferè diuini ingenij quin sit, apud vnumquemque Pontificem hoc munere fungi, nemo negare potest: sed apud Te, Tuoque in conspectu, multo difficillimum, & altioris adhuc ingenij haberi debet. Tui namque animi dotes adeo raræ, admirabilesque sunt, vt, quemadmodum hanc supremam dignitatem Tibi a bonis omnibus exoptatam compararunt, ita nunc, cum illam augere non valeant, exornent nihilo secius, & venerabiliorem quodammodo reddant, atque augustiorem. Sanctissimum hoc purpuratorum Patrum Collegium, in quo nil, nisi graue, præcipuaque admiratione dignum, perspicitur, tam pio metu, horroreque tam religioso nos replet, vt mens nostra vix excogitare, nostraque lingua res consuetas vix enuntiare queat, nedum sublimia illa, & maxima inuenire, ac proferre, quæ Tibi a nobis in præsens significanda essent. Erat Resp. Lucen. P. S. ingenti formidine circumsæpta, ingentique dolore labefactata, inexpectatis euentibus, inopinatisque casibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, ob crebros tot Sanctorum Pontificum obitus: quod quidem, tametsi quouis tempore maximi ponderis videri posset; nihilominus turbidis hisce, calamitosis, miserrimisq. temporibus maioris momenti sine dubio apparebat. Publicis

itaque, priuatisq. precibus summum Deum assidue exorabat, vt quamprimum gregi suo eum ipse preponeret, quem dignissimum, &, quo ad misera mortalium patitur condicio, sui simillimum iudicaret. Prospexit Dominus de excelso sancto suo; &, cum audiret gemitus compeditorum, respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum; Teq. omnibus huius augustissimi, & sanctissimi orbis terrarum Concilij suffragijs, Te inquam fidelem seruum, ac prudentem, constituit super familiam suam, constituit Regem, & Principem super omnem terram. Quis nunc gaudium illud immensum, immensam illam voluptatem, quam ex eo percepit vniuersa Ciuitas nostra, exprimere vnquam posset? Electione Christi Dei Vicarij, quicumque is esset, erat omnino lætandum; illius, inquam, qui labentibus rebus opem ferre posset, & ad quem in maximis necessitatibus esset confugiendum. Hac enim potissimum de caussa ab ipso Deo, qui bonis omnibus, gratijsque cumulare nos voluit, fidelibus relictus fuit; & propterea Petro hac in Sede constituto post trinam aeterni amoris professionem ter dixit, Pasce oues meas. Nunc vero, cum Tu ipse, a Deo electus, ab his Amplissimis Cardinalibus renuntiatus sis, cuius prudentiam, singularemque iustitiam, benignitati, clementiæq. coniunctam, non Romanorum modo Resp. verum vniuersa etiam Dei Ecclesia, vsque ad vltimas mundi partes, in arduis semper, difficillimisque negotijs perspexit; talis, tantaque in omnibus fuit lætitia, vt nullis prorsus terminis contineretur, fines omnes pertransiret. Vere Dominus visit nos, vere beneficia beneficijs cumulauit. Nunc sane credendum est, iam iamque eius rei apparuerunt, apparentq. manifestissima, & clarissima signa; Iustitiam, Innocentiam, Fidem, Clementiam, in statu, suoq. robore permansuras; Crudelitatem, Fraudē, Malitiam, Iniustitiam, si quæ se se efferre adhuc audent, prorsus exterminandas fore. Tu enim P.S. semper dilexisti iustitiam, semper odisti iniquitatem, & propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cōsortibus tuis. Tui Pontificatus tempore, quod longissimum, felicissimumque sit, Pontifex Sanctissime, haud vulgaria exspectantur. Misericordia, & Veritas obuiauerunt sibi; Iustitia, & Clementia complexæ sunt se. Nunc profecto Christi Dei grex a furum insidijs, luporumque incursibus, tutus erit. Nunc potentior debiliorem haud opprimet, nec tenuior valentioris minas iniustas, superbasque formidabit. Nunc Christianorum Principum rixæ, contentiones, atque diffidia, quæ Remp. Christianam tantopere diuellunt, ac distrahunt, vt speran-

sperandum est, finem aliquem habebunt. Nunc Sancta Dei Ecclesia vere terribilis, vt castrorum acies ordinata, hæreticos omnes dissipabit. Nunc ipsa Ecclesia, pulchra vt Luna, electa vt Sol, abruptis nubibus, pulchrior, & splendidior apparebit. Duo sunt, P. B. quæ viros præcipue admirabiles reddunt, rerum videlicet cognitio, & agendorum prudentia: quæ sicut apprime difficilia sunt, ita eorum alterum tanti est, vt ad reddendos homines omni laude dignissimos sufficiat; raroque hæc duo in vno homine mediocritatem excedere, visa sint. Ipse, ipse, inquam, Tu is es, in quo hæc duo cumulatissime reperiuntur. Rerum quidem maximarum cognitionem, diuinamque, ac prope cælestem sapientiam toto vitæ tuæ curriculo, non sine magna gentium, populorumque admiratione, nunc disceptando, nunc consulendo, nunc decidendo, ostendisti. Quoad prudentiam, innumerabilia prætereo negotia, quæ tam domi, quam foris difficillima, singulari tamen tua dexteritate, facillima reddidisti. Quotus enim quisque est, qui res in Tua legatione in Polonia a Te gestas, & maximas, & grauissimas, summa admiratione non prosequatur? Verum sint alijs hæc communia, & publica. Sunt aliæ quoque Lucensium voluptatis caussæ, quæ ipsis propriæ, & priuatæ sunt. Vsquequaq. benignam, propensamq. voluntatem in Remp. nostram, & in ciues suos ostendisti. Tua nobilissima familia per aliquot temporis spatia Lucam incolere non est dedignata: quo quidem nomine Ciuitas illa valde gloriatur. Quid? non ne omnes Lucenses, cum oblata Tibi fuit occasio, Tua sapientia, Tuo consilio, iuuisti, Tuaque benigna dextera subleuasti? In Vrbe nostra perpauci quidem sunt, qui numerare nesciant quam plurima beneficia diuersis temporibus a Te in ciues nostros collata. Hæc & alia multa fuerunt in caussa, cur Lucensis Resp. hac Tua dignitate omnibus lætitijs incederet, & plane triumpharet. Eorum magnitudo voluptatis illius Vrbis magnitudinem vt Tibi ostendat, necesse est. Vobis, Amplissimi Patres, pro hac sanctissima electione, gratiæ totius orbis terrarum nomine agendæ sunt: ipsi vero, dum vos non sine maxima admiratione suspicimus, singulos Spiritu illo sancto repletos cernere videmur, qui vestra tunc pectora, vestras cogitationes repleuit; cum neque casu, neque ex improuiso, neque humana aliqua ratione adducti, sed acri iudicio, Diuinoq. consilio, tantumq. Ecclesiæ Sanctæ vtilitatem, decus, maiestatemque præ oculis habentes, inter complures magnos, & sacrosancta hac Sede dignos,

gnos,

gnos, hunc maximum, eaque dignissimum delegistis. Tibi autem, Clemens Octaue, quod, ad humanarum rerum fastigium elatus, Diuinitatem plane attingis, summopere gratulamur. Tu es Pastor ouium, Princeps Apostolorum. Tibi tradidit Deus omnia regna Mundi; atque infra Deum cuncta Tibi inferiora, cuncta Te minora conspicis. Tibi, æque, ac beatissimo Petro, commissa est terræ nauis, clauisq. cæli. Tu, libet enim iisdem Te verbis affari, quibus Eugenium Pontificem Maximum vir sanctissimus, idemque religiosissimus Bernardus alloquitur, Tu Princeps Episcoporum, Tu heres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moises, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tibi igitur omnes homines, omnes prouinciæ, omnia regna, & imperia obsequi, atque obedire, & ante Tuos Pedes prostrata, Te verum Christi Dei Vicarium, legitimum Petri successorem, totiusq. Ecclesiæ Pastorem, & gubernatorem fatentia, adorare debent: *Quemadmodum nos nunc, alacri*

Hic genua flectuntur. *animo, Senatus, populique Lucensis, ac totius nostræ Reip. nomine, ea, qua decet, reuerentia, & humilitate, peragimus, atque præstamus, sanctissime pollicentes, illos pro Tua Celsitudinis, Sanctæq. Sedis huius conseruatione, atq. maiestate, quotiescumque sese obtulerit occasio, perexiguas uires suas, perexiguasque fortunas animo quam libentissimo impensuros, nec suum ipsorum sanguinem, vitamq. profundere dubitaturos, neque a Tuis mandatis, atque imperijs vllo vmquam tempore recessuros.* Tu, Pater clementissime, eos respice; in Tuam fidem, clientelamq. recipe; &, vt ipsi sperant, ac plane pro certo habent, paterno amore, ac singulari caritate, prosequere, foue, atque complectere; dulcissimamque eorum libertatem, qua a supremo Deo donati sunt, quaque maiora omnino non appetunt, Tu, qui illius es Vicarius, elatus vt cornu salutis, nobis protege, defende, atque tuere. Quod vt facere possis perpetuo, ab illo architecto, & gubernatore Deo, Deiq. filij parente, precabuntur, vt Te, Diuinis muneribus, & donis cumulatum, & ornatum, Etruriæ, Italiæ, Europæ, ac terrarum denique Orbi vniuerso, diu saluum, & incolumem conseruet.

DIXI.

A N-


ANTONIVS BVCCAPADVLIVS SECRETARIVS APOSTOLICVS DOMESTICVS CLEMENTIS VIII.

SVMMI PONTIFICIS NOMINE IN HAEC VERBA RESPONDT.





AEC fere sunt, viri ornatissimi, quæ ad capita vestræ orationis respondenda esse censet Sanctiss. D. N. Reipublicæ vestræ pietatem, in aduersis Christianarum rerum euentis dolendis, in optimis Pontificibus omnibus votis expetendis, in Sanctæ, atq. Apostolicæ Sedis auctoritate colenda, verissimis laudibus celebratam esse. Suas laudes nec libenter audire, nec agnoscere. Duo sibi vsque a principio ad cogitandum proposita esse. Primum, quæ a Romano Pontifice laborari oporteat, quorum ipsi partem sapienter commemorastis, maiora multo esse, quam vt possint humano tantum consilio, atque opera, præstari. Alterum, quo magis suis viribus diffidat, eo magis Diuinæ bonitati confidere æquum esse eum, qui Dei uocatu nō recusauit, Dei ipsius gloriæ caussa, difficillima, & laboriosissima quæque suscipere. Hāc vero nobilissimam Legationem, testē fidei, atq. obediētię, accipere se, vna cum his venerabilibus fratribus suis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, animo libētissimo, ac paterno. Vestrā Rempublicā semper plurimi fecisse: in ea suos optimos parentes aliquandiu consedisse: Vestram dignitatem, tranquillitatem, amplitudinem, vestra omnia, fore semper sibi commendatissima. Vobis vniuersis benedicere, omnemq; a Domino felicitatem optare, & precari.




MANFREDI RAVASCHERII ORATIO AD SANCTISS. D. N. PAVLVM QVINTVM PONT. MAX. PRO SERENISS. REPVBLICA GENVENSI.




ROMAE, Apud Aloisium Zannettum. MDCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Oratio hæc habita eſt Romæ in Vaticano ad S. D. N. Paulum V. P. M. cum in publico Conſiſtorio exciperet legationem Sereniſs. Reip. Genuenſis quattuor Illuſtriſsimorum Oratorum Io. Baptiſtæ de Auria Illuſtriſs. Nicolai F. Manfredi Rauaſcherij, Io. Andreæ Pallauicini, & Io. Franciſci Iuſtiniani: qui ad gratulandum, & obedientiam exhibendam miſsi fuerant. 8. Id. Dec. 1605




ORATIO.



VRBI terrarum pręsidere te Beatiss.P.cum Senatui, Populoq. Genuensi nuntiatum est, noua quædam, ac magna lux diuinitus oblata fuisse videtur vniuersis, quæ ad spem meliorum temporum, & ad summam rerum secundarum expectationem erectos animos ingenti lætitiæ voluptate compleuit. Vtinam pectoribus humanis ad translucendum specularem materiam Natura prætendisset, aut fenestras dedisset, vt quibusdã in optatis fuit: næ videres in animis nostris, qui Senatus, Ciuiumq. omnium induerunt affectum, & sensum, Ciuitatem, Liguriam, Rempublicãq. vniuersam exultantem gaudio, & propemodum triumphantem. Huius gestientis lætitiæ gratia significandæ, & hæc legatio decreta est tunc primum, cum tuam in Summum Pontificem, ac Pastorem omnium creationem ad nos certi nuncij pertulerunt: & hæc instituta gratulatio, in qua mea vox, & oratio, æque ac si Respublica præsens loqueretur, gaudium omnium ciuium voluptatẽq. tanquam speculum animorum repræsentabit, gratulabiturq. tibi, B.P. de tua ista dignitate atque auctoritate, quæ proximè ad diuinam accedit, primum tua ipsius caussa, deinde totius Ecclesiæ Catholicæ; postremum nostrę Reip. vniuersæ. Tua primũ caussa gratulantes lætamur, quod occasionẽ, opportunitatẽq. habiturus es probitatis expromendæ, prudentiæq. explicandæ. Nimis angustis finibus ante Pontificatũ coercebantur ingentes virtutes tuæ, Circus, Theatrum, Campus, in quo sese ostentet sapientia: magnitudo animi excurrat, versetur pontificia cura atque industria; nunc tibi tam latè patet, quam latus est Orbis terrarum. Natus es ad Im-

perium B.P. liceat mihi ex gentilitio clypeo Borghesiorum augurari; liceat ex nomine capere omen. Aquila illa dominatus, & victoriæ argumentum apud omnes nationes, quod multis quondã Regibus, atque Imperatoribus hæc duo portenderit, quid aliud nobis nutu diuino significat, nisi te tuos Populos piò recturũ Imperio; & de hostibus Ecclesiæ cuiuscunque generis victorem triũphaturum? Factus es Paulus, non ex Saulo, vt quondam Apostolus Doctor gentium, sed ex Camillo, qui quinquies Dictator hãc ipsam Vrbem Patriam suam victorijs liberatam ab hostibus, oratione seruauit à ciuibus & octoginta natus annos clarissimus Romanorum, atque ætatis suæ felicissimus obijt. Et factus Paulus, vt opinor, imitarere in Apostolo cognomine tuo solicitudinem omnium Ecclesiarum; in Paulo primo Pontifice misericordiam erga pauperes; in Secundo Pacis amorem; in Tertio prudentiam rerum gerendarum; in Quarto studium Ecclesiasticę disciplinæ. O benè factum vestrũ Cardinales Amplis.o factũ bene cũ Camillũ Borghesium Card. consentientibus diuinitus animis, ac votis, non singuli tabellis, sed concursu, atque vna voce Pontificem renunciastis vniuersi, atque in Paulum Quintum mutatum in Petri Cathedra collocastis. Vobis cuncti mortales tantum debent, quãtum illis creando Paulo Pontifice tribuistis. Nimirum dedistis Ecclesiæ sponsum, Reip. Christianæ caput, Orbi terrarum sacrorum Principem, Vicarium optimum Christo. Nec minus Ecclesiæ, totiusq. Christiani orbis caussa lætamur. Huic, vt dixi, datum est a Deo Purpuratorum Patrum suffragijs, caput sanum, ac vegetum, vnde in reliqua Christiani corporis sensus, ac membra vitalis doctrinæ spiritus, motus bonorum operum diffundatur. Anteacta sanctè, ac prudenter vita pollicetur gubernationem tuam fore Pontifice Maximo dignã. Pignus a te B.P. septẽ proximis mensibus, & Vrbs, & Orbis accepit magnum optimæ gubernationis: prægustauit specimen sapientiæ tuæ: consentient his principijs reliqua. Ea es ætate, vt non inchoare modò, sed & perficere multa, & grandia posis; nec solum prima lineamenta ponere maximarum rerum, sed & extrema. Tuus ille Draco non dimidiatus, vt

 Gre-

Gregorij XIII.sed integer, ac proinde non mortuus, sed viuus,ac spirans, qui te in totius Orbis vigilia significat vigilem excubare, duplicatos,vt minimum Gregorianos annos tibi portendit. A te, qui sacrorum es omnium Antistes,Pastorum pastor,& ouium Ecclesiæ,summus mortalium sacerdos, arbiter Christiani Orbis, & Christi Vicarius in terris expectant omnes, & nos Genuenses in primis, vt reuocatis ad Ecclesiæ gremium nationibus aberrantibus, eijcias ex hominum mentibus hæresim portentum mundi. Deinde vt auctoritate tua Pontificia, monitis & cohibitis rerum nouarum cupidis.cum in Europa, tum vero in Italia conseruetur pax; qua florente, fides Catholica, & religio floreat, necesse est. Postremum, vt te hortatore, & vero etiam auctore coactis in vnũ Principum Christianorum animis,armis,viribus,a ceruicibus Italiæ, Turcarum furorem impetumq. depellas. Non precibus ad Deum fusis tantum,quod semper optimè facis, B.P. sed etiam armis,vt velle cœpisti,classibus,inquam,& exercitibus repellendus, atque in Asiam hic immanissimus hostis Christiani nominis, ac generis trudendus est.Laus hæc tua erit; tua Victoria, tui triumphi, si Callistum Tertium, si Pium Secundum, si Pium Quintum sequare. Quod si Draco in prætoria apparens naui fuisse scribitur Atheniensibus aduersus Medos apud Salamina pugnaturis, victoriæ naualis,& secundissimarum rerum augurium: quid nos sperare iubet hoc signum Borghesiorum, quod vos (Amplissimi Patres,in Nauis Apostolicæ puppi sustulistis; quodq. iam erectũ Christiano Populo ventilat aura Spiritus sancti,quid inquam pol licetur,nisi pugnæ,quam Christiani pugnant,prosperos,ac felices euentus? Denique caussa nostra mirificè gaudemus, quod te B. P. insigniter, beneuolum,atque amantissimum Reip. nostræ tutorem parentemq. fore speremus. Nos hanc paternam beneuolentiam,tutelamq. mereri nobis ipsi videmur multis nominibus; a te qui Pater a Deo constitutus es omnium Christianorum.Postulat id antiquitas Christianæ religionis, & magnitudo pietatis Beato Bernardo cognita,& laudata:deposcit nostra, maiorumq. nostrorum erga istam Sedem reuerentia: flagitant labores pro fide, Ro-

manisq. Pontificibus susceptis. Vix dum per Apostolorum Principes in hac Vrbe lex Euangelica vulgari cœpta erat, cum Genuā per Nazariū, ac Celsum sanctissimos viros perlata pronis auribus, atque animis accepta est; nullo deinceps perfidiæ vento concussa, nullo hæresis turbine deiecta; nulla vnquam erroris nubecula obscurata. Quid cum schismatibus scinderetur orbis, incertus quis è multis verus esset Pontifex? illum tunc agnouit Patria nostra Pastorem Ecclesiæ, quem re ipsa, dissidio sublato, verum fuisse patuit manifestè. Bellicæ expeditiones in Saracenos, ac Turcas auctoritate Pontificia nullæ factæ sunt, quin maiores nostri classes maximas, ornatissimasq. contulerint: Hierosolymorum sanctissima Ciuitas sine Genuensium machinis, tormentis, atq. armis expugnata non fuit. Nostris classibus Romani Pontifices, Innocentius Primus, Innocentius Quartus, Vrbanus Quintus, atque alij, vel furorem declinantes hostium, vel ex hostium faucibus erepti, sunt in tutiora loca delati. Liguris hominis scientia nauigandi sub Occidente Sole patefactus est aditus Euangelij prædicatoribus ad nationes propemodum infinitas ante annos centū ignotas. Nostro item seculo, cum eam occasio poposcit, quamcumq. potuimus operam in istius Sanctæ Sedis Apostolicæ commodum præbuimus. Quid, quod eidem Sedi subinde Pontifices Maximos qui præessent: Episcopos, Cardinalesq. permultos, qui adessent, subministrauimus? Tres è Liguria, Nicolaum Quintum, Sixtū Quartum, Iulium Secundum dedimus; Tres item è sinu, ac nobilitate Ciuitatis, Innocentium Quartum, Adrianum Quintum, & Innocentium Octauum; præter eos, qui à nobis traxerunt originem. Purpuratorum Patrum difficile est inire numerum: coniecturam fac multitudinis ex his quattuor, qui in hoc sacro terrarū orbis consilio in tui electionem conspirarunt. Impetratura est denique tuam paternam beneuolentiam erga nos, resq. nostras mutua beneficiorum, officiorumq. contentio. Inter istam sanctam Sedem, ac Remp. nostram numquam armis certatum est, sæpe beneficijs. Istinc profecta dignitas Archiepiscopatus ob merita maiorum: Istinc remissio census, qui pro Insula Corsica a Saracenis

per nos recuderata pendebatur: istinc missi pacificatores, qui nobis cum premeremur bellis, pacem, tranquillitatemq. restituerent. Atq. hæc non iactandi studio dicuntur, sed vt intelligant omnes nos qui libertatis, qui gloriæ, qui meritorum nonnullum patrimonium a maioribus nostris accepimus, hæredes quoque institutos propensæ voluntatis, ac reuerentiæ aduersus istam sanctam Romanam, Apostolicamq. Sedem: nec defuturos, quotiescumq. se occasio tulerit officio nostro, & quo ad vires ferent, eosdem fore, quos maiores nostros fuisse scimus. Quapropter nos huius officij gratia huc publicè Legati Oratores, ac testes Reip. Genuensis in tuam Sanctitatem voluntatis, eius vniuersę nomine te B.P. verum Christi Vicarium, ac legitimum Petri successorem agnoscentes, fatemur, ac veneramur: eamq. obedientiam per nos tibi Resp. præstat, ac promittit in posterum, quam obsequentissimis filijs præstari par est: quamque a maioribus suis huic sanctæ Sedi exhibitam fuisse intelligit: & deniq. fortunas omnes publicas, ac priuatas, vitamq. ipsam ciuium pro Ecclesia Catholica, & pro tua incolumitate tuenda, pollicetur.

PETRI STROZAE SECRETARII S. D. N.

Responsio ad Oratores Reipublicæ Genuensis.

RECIPIT paterna charitate Sanctissimus Dominus noster, vna cum Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus obedientiam, quam vos Nobiles Oratores Reipublicæ Genuensis nomine nunc præstatis. Eiusdemq. vestræ Reip. erga sanctam hanc Sedem, fidem, obseruantiam, & reuerentiã probat; studium, alacritatem, zelum Catholicæ Religionis amplificandæ laudat. Quæ quidem omnia commemoratione perpetui obsequij; constantis obedientiæ; non intermissi vnquam debiti Summis Pontificibus Romanis officij vestrorum maiorum: aperte declarastis: præsertim cum vos ad hæc eadem præstanda promptos, paratosq. non minus fortiter, ac generose, quàm pie ac prudenter exhibeatis; memores beneficiorũ, quę ab hac sancta Sede accepistis. Quare vestram hanc honorificentissimam legationem perlibenter excipit: filialem affectum Præclarissimi Senatus, Populique Genuensis officiosissima gratulatione expressum perhumaniter agnoscit, ac vobis & Reipub. vestræ Patrem amantissimum semper se præbiturum profitetur.

Vide aliud ad Greg. xiij 1572 in lib. 2° Grahl. fol. 13.